



נשא ונעלה לשם ולתהלה.

אדוני

יוחנן כוקשדורף יצו

לא אוכל להעלות על ספר גודל התשוקה
 אשר רבקה נפשי אחריך כי אתה אשר
 נאמר עליך כי אם בתורת יהוה חפצו וכתורתו
 יהנה יומם ולילה: על כן אדוני היקר אהבתך
 בלבי ולאות שרצתה נפשי אהבתך אתן לך את
 הכרחה הזאת ואם היא קטנה: יהי
 התורה חייך ואורך ימך:

עכרך עולם

יוחנן גאורגיוס גרוזיוס





ΑΝΑΛΥΣΙΣ ΕΛΕΓΚΤΙΚΗ
Orac. Proph. Hab. 2. v. 4.

*Ecce effert se in quo non est rectus animus
ipsius: justus autem ex fide sua
vivet.*

Context.



OGITANTI mihi, quâ facili simul & perspicuâ
methodo præsens oraculum Propheticum, ju-
bente prædicto Præsidi disputationis dignissi-
mo, explicari posset, in mentem venit ea, quæ
versibus hisce comprehenditur:

*Premitto, summo, scindo, thema pono docendum,
Illud declaro, demonstro, porismata texo,
Tandem, præcipuis repetitis, finio cuncta.*

Cui ferè respondet illa Jureconsultorum quâ in explicâdis
legibus utuntur; eamq; hoc disticho complectuntur:

*Premitto, scindo, summo, ca sumq; figuro:
Prælego, do causas, connoto & objicio.*

Huic igitur insistens viæ, enarrationem propositi apoph-
thegmatis Prophetici, sequentibus comprehensam thesibus
συνθεῖν instituiam, ac publicè defendere studebo.

I. Testatur verus historia cum quotidiana experientia,
verè illud dici:

*Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt,
Et quo cum certet mens pia semper habet.*

Ut enim nemo sine crimine, ita nemo sine hoste vivit in
hoc mundo, ut maximè pietati & modestiæ studeat. Imò
quò quisq; pius magis, eò plures inimicos habet, juxta il-
lud Apostoli 2. Tim. 3. v. 12. 13: Omnes qui piè volūt vivere in Chri-

Præmitto.

sto Jesu, persecutionem patientur. Improbi autem homines & impostores procedent in pejus.

II. Quæritur autem, Quomodo pia mens hac in parte sese gerere debeat? Ad quam quæstionem longè melius respondet Spiritus quàm Caro.

III. Hæc enim identidem homini suadet, ut ex impatientia de hostium multitudine ἀδιαιρέτως conqueratur, & cum Deo expostulet, quod ipsum pii quoque interdum ex infirmitate faciunt, ut testatur exemplū Davidis Ps. 13. v. 2. 3: Quousq; Jehova? (ait) oblivisceris mei in aeternum? quousq; abscondes faciem tuā à me? Quousq; repositurus sum consilia in animo meo, mœrorem in corde meo de die? quousq; attollet se inimicus meus cōtra me?

IV. Ille verò piæ menti author & hortator est, ut observet ea quæ habentur Psal. 37. v. 1. 2. 3. 4: Ne accendaris irā propter maleficos; ne invidias facientibus iniquitatem: nam sicut fœnum cito succidentur, & sicut viriditas teneræ herbæ decident. Confide in Jehova & fac bonum: inhabita terram, & pascere fide: Et oblecta te in Jehova; qui dabit tibi petitiones animi tui. Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo; nam ipse efficiet.

V. Id ipsum quoq; Spiritus Sanctus nobis inculcat præsentis Oraculo Habak. cujus finis est, ut electi & pii omnes: certò & constanter teneant, qua in re debeant cōquiescere: in mediis procellis ac tempestatibus, & unde vivere in ipsis mortis angustiis possint.

Summo.

VI. Summa verò est hæc: Pios (etsi variis in calamitatibus constituti sint, & impios sese instar arcis sublimis, munitæ & inexpugnabilis efferētes atq; instar magni montis assurgentes videant) habere, quibus se erigant & solentur, & inter alia hæc quoq; duo, quorum unum est, quòd justi sint ex fide: alterum, quòd ex summis angustiis & ipsa morte sint ad vitam eluctaturi.

VII. Sic enim homo pius cum impio per antithesin hoc loco cōparatur; ut docet conjunctio *Vav*, quæ in altero oppositionis membro nō est copulativæ sed adversativæ potestatis, ut loquuntur Grammatici: Ideò Glossa Interl. Bibl. eam rectè voce *econtrariò* explicat.

VIII. Cæ-

VIII. Cæterum antitheseos hujus membra sunt duo: *primum* continet descriptionem improbi ab adjuncto & eventu infelici, seu exitio: *alterum* est periphrasis hominis pii à contrario tum adjuncto tum eventu vitæ salutari.

IX. Opponitur itaq; *primò* adjunctū pii, quod est, *justum esse ex fide*, adjuncto impii, quod est, *non rectum habere animum in seipso*. Deinde si eventum spectes, opponitur vita justi exitio improbi, quod sese efferendo sibi ipse accersit.

X. Proinde ex proposita sententiâ Habak. doctrinâ hâc, nobis cum variis hæreticis controversam, depromemus:

Pii & impii non simul sunt eodem loco apud Deum.

XI. *Pii* dicuntur qui per gratiâ Spiritus Sancti ipsos regenerantis, Deum rectè agnoscunt & colunt, id est, ex ipsius voluntate in Scriptis Prophetis & Apostolicis revelatâ. Vocantur etiam religiosi, timentes Dei, *θεοσεβεις, οὐλαβεϊς, σεβόμενοι*. Act. 13. v. 43.

XII. *Impii* sunt beluinæ quædam hominū naturæ, quæ Deum aut saltem providentiâ Dei esse negant, aut quamvis Deum se nosse verbis profiteantur, factis tamē suis impiis abnegant. Tit. 1. 16.

XIII. Differunt impii seu improbi, & reprobī, ut genus & species: *Impii generaliter dicti*, sunt omnes homines in se & suâ naturâ, tanquam filii iræ cōsiderati. Tales sunt quoq; electi ante vocationem, justificationem & regenerationē. Eph. 2. v. 3. Tit. 3. v. 3. Rom. 4. v. 5. & 5. v. 6.

XIV. *Impii specialiter appellati* (aliâs *reprobi*) sunt homines abominandi, rebelles, & ad omne opus bonum reprobi. Tit. 1. v. 16. Ac de his quidem in præsentī est sermo.

XV. Porro *non simul esse eodem loco apud Deum* hîc significat, non simul eâdem gratiâ, amore & misericordiâ Dei speciali frui. Rom. 9. 18.

Sic declarata est sententiâ propositâ thesæus principalis. Eadem in hunc modum ex dicto Habak. demonstratur.

XVI. Quorum & vitæ instituta & eventus, sibi invicem contrarios, Deus accuratè discernit & inter se opponit: ii non sunt simul eodem loco apud Deum.

Scindo.

Thema pono docendum.

Illud declaro.

Demonstratio Major

B

Majoris con-
firm.

XVII. A quibus enim removeretur definitio, iisdem definitum tribui nequit. Definitum vocamus phrasin, *Eodem esse loco apud Deum. Definitio est, secundum vitam rationem vel instituta & eventus Deo placere: quod cum de piis simul & impiis dici nequeat, negamus illos eodē haberi loco apud Deum.*

Demonstra-
tionis Minor,
in cuius ἐ-
παράσις verba
cōtextus ex-
plicantur.

XVIII. Jam verò piorum & impiorum tum vitæ instituta tum eventus, sibi invicem contrarios, Deus accuratè discernit & inter se opponit. Hoc testatur Propheta Habakuk, præsentis Oraculo, inquit: *Ecce effert se, in quo non est rectus animus ipsius: justus autem ex fide sua vivet.*

XIX. Perpendamus hæc verba ordinè; in quibus descriptioni improborum opponitur periphrasis piorum.

PARS I.
Textus.
Versio.

XX. Improbus homo describitur his verbis: *Ecce effert se in quo non est rectus animus ipsius.* In quorum versione & Græcus & Latinus interpres vulgatus à veritate Hebraica non nihil dissentit.

XXI. Græcus, illis omissis, hæc in locum eorum reponit: *εάν ἴποσείληται, ἢν σὺ δλονεῖ ἡ ψυχὴ μου ἐν αὐτῷ.* Id est, *Si retraxerit se, non placabitur anima mea in eo.* Nec potest hic error defendi auctoritate Apostoli, qui Heb. 10. v. 38. similiter hunc locum citat: siquidem aliud est, ex professo locum aliquem interpretari; aliud, eundem ex analogia instituto ac temporibus suis accommodare.

Elench.

XXII. Latinus, non quidē neglecto sensu, sed tamen incommodè hunc locū sic reddit: *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso.* Nam 1. verbū πῆσεν quod significat *effert se*, impropriè vertit. 2. partes enunciati confundit.

XXIII. Errant igitur Papistæ, docentes Versionem Bibliorum tum Græcam, (quæ septuaginta duorum interpretum esse fingitur) tum Latinam vulgatam, (quæ falsò adscribitur Hieronymo) Authenticā esse; ut videre est in Concil. Trid. decr. 2. sess. 4. can. 1. Item tomo 1. Oper. Bell. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 6. & 10.

Constru-
ctio.

XXIV. Cæterum ita disponendum est hoc enunciatū, ut subiectum sit, *Is in quo non est rectus animus ipsius*, prædicatum, *Effert se.*

XXV. Is

XXV. Is in quo non est rectus animus ipsius, est homo injustus ex infidelitate & improbitate laborans, qui nunquam potest animo suo quiescere, sed perpetuò cogitationibus inanibus distrahitur, & consiliis novis seipsum implicat, nec unquam pacem & securitatem veram invenit.

Τὸ ὑπερ-
μετρού.

XXVI. Idq; hanc ob causam, quia illius anima (ut Nicolaus de Lyra in Expos. literali ait) distorta est à rectitudine veritatis primæ. Cujusmodi sunt infideles & mali Christiani, quorum anima distorta est à Deo & Angelis, ut idem ait in Expos. morali.

XXVII. Incidit hoc loco q̄stio: Utrum à Deo, qui fons & author est omnis rectitudinis, creata sit anima impii non recta? Resp. Omnium omninò hominū tam impiorum quàm piorum animam à Deo Opt. Max. creari, manifestū est ex Jes. 42. v. 5. ac proinde errarunt Manichæi, fingentes non omnem animam esse à Deo.

Ἀπορία.

Δύσις.

XXVIII. Interim fatendum hocce, Deum creare animam improbi non rectam, id est, justo Dei judicio carētem primævâ illâ rectitudine & orbatam dotibus in Adamo amissis. Aliud autem est creare animam per se bonam absque rectitudine originali, aliud creare cum anima ἀταξίαν & malitiam habitualē. Quod posterius minimè tribuendū Deo.

XXIX. Quæritur insuper & velut ἐν παρορῳ, Utrum Deus etiā genitis in adulterio animas tribuat? Respondet B. Hieronymus in epist. ad Ruffinum Episcopum: Quasi, inquit, vitium sementis in tritico sit, quod furto dicitur esse sublatum, & non in eo qui frumentum furatus est: idcirco terra non debeat gremio suo semina fovere, quia sator immundâ ea projecit manu. Distinguendum quinetiam in adulterinis fœtibus id quod natura est, ab eo, quod est perversæ voluntatis.

Aliud dub.

Solut.

XXX. Quid porrò de impio, in quo non est rectus animus ipsius, prædicatur? Quòd sese efferat, extollat, ebullat. Hebraicè est הָאֵץ, quod hoc loco ad animum transfertur, metaphorâ ductâ à הָאֵץ quæ vox clivum & arcem denotat.

Τὸ ὑπερμετρού.

XXXI. Hoc autem verbo continetur partim querela de superbia, insolentia & securitate carnali improborum: partim denunciatio exitii subitanei & inexpectati. Et si enim

improbus in clivū specie videatur assurgere & permagnus mons effici, ebullat tamē, hoc est, non magis est quāmbulla, crepat & suā ipsius imbecillitate rumpitur. Summa: in ipsum præ cæteris hominibus competit illud: *πομφόλυξ ὁ ἀνθρώπου*: *Homo bulla*.

XXXII. Addit Propheta non sine emphasi particulam demonstrandi, *Ecce*, quā auditores ceu in rem præsentem deducere studet, quasi diceret: Attendite quæso, inspicite modò quæ quotidie fiunt, & confidentiæ istorum mores & studia excutite, & mox patebit rem ita se habere, quemadmodum dixi.

XXXIII. Oriuntur circa hoc Prædicatum, *Ecce* effert se, quæstiones numero tres: 1. *An liceat nobis in negotio salutis uti metaphoris?* 2. *An superbia sit omnium peccatorum origo simpliciter?* 3. *An fides Papistarum implicita sit vera fides?*

Metaph. usus in Theol.

XXXIV. Ad 1. *Resp.* Licet omninò nobis in explicatione dogmatum fidei uti metaphoris, in quantū præeuntem habemus S. Scripturæ regulam & exemplum, ut hoc loco, si spectes verbum *הִלָּחֵץ*. *Conveniens verò est S. Scripturæ divina & spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus providet secundum id quod competit eorum natura: est autē naturale homini, ut per sensibilia ad intelligibilia veniat; quia omnis nostra cognitio à sensu initium habet: ut loquitur Th. Aquinas part. 1. Sum. Theol. quæst. 1. art. 9. ubi etiā objectiones nonnullas pro parte negante eleganter solvit.*

Origo omn. pecc.

XXXV. Ad 2. *Resp.* Etsi Propheta Habak. improborum superbiam & animi elationē expressè perstringat isto loco, nihilominus tamen incredulitas antevertit; fuitque hæc primum hominis peccatū, non superbia. Contrarium frustra ruetur Bellar. t. 4. l. 3. de Amis. Gratiæ, c. 4. 5. Adde, quod, ut suprà dictū, versio Vulg. Latina verbum Hebræum sæpius commemoratum ita reddit (quanquam improprie) *qui incredulus est*.

Fides implicita.

XXXVI. Ad 3. *Resp.* Fides Papistarū implicita, quam vocant, non est vera fides, ut evincit particula *Ecce*, quæ in hoc & plurimis aliis Scripturæ locis usurpatur, ad excitandum

dum in animis nostris non nudum assensum notitiâ caren-
tem, sed singularem attentionē & zelum cum scientia con-
junctum, quæ omnia evertunt fidem illam implicitam, ad
quam stabiliendam, Bellarminus perperam probat, fidem
justificantem non tam esse notitiam, quàm assensum. Tom.
4. l. 1. de Justif. c. 7.

*Tantum de priori oppositionis membro, quod descriptionem
improbi continet.*

XXXVII. Posterius est descriptio hominis pii, oppo-
sita priori, his quidē verbis: *Justus autem ex fide sua vivet.* Quo-
rum 1. translatio, 2. dispositio, 3. sententia, ordinē perpendēda.

PARS II.

XXXVIII. Si primò TRANSLATIONEM spectes, Se-
ptuaginta hunc locum sic interpretati sunt, *Justus autē ex fide
mea vivet.* Unus Symmachus significantiùs expressit, *ὁ ἵδι-
ου ἐκ τῆς ἐαυτοῦ πίστεως ἰσχυεῖται.* Hieronymus putat Septuaginta la-
psos Hebraicorum elementorum similitudine, quæ men-
surâ tantum inter se distant: nam *אֱמוּנָתוֹ* sonat Hebræis *in
fide sua*, quòd Vav litera, cùm est appendix dictionis, vim
habet hujus pronominis *sui* aut *ejus*. Jod item adjecta vim
habet hujus pronominis *mei*, *אֱמוּנָתִי*, id est, *in fide mea*.

XXXIX. Circa hanc vocem decompositâ *אֱמוּנָתוֹ* duæ
moventur quæstiones: 1. *Cur Paulus hunc locum citans Rom.*
*1. v. 17. Gal. 3. v. II. neutrum pronomen, nec tertiæ nec primæ personæ
expresserit?* 2. *Cur particula β non per In reddatur?*

Apor. duplex

XL. Ad 1. Respondet Erasmus in explicatione cap. 1. ad
Rom. Opinor, inquiens, *Paulum utrumq; pronomen omisisse, si-
ve quòd Romanis & Galatis nota esset editio Septuaginta, & ob id ab
ea dissentire nollet, neq; rursus Hebraicam ingerere, quam nesciebāt.
Sive quòd hujusmodi pronomina passim soleāt subaudiri, sive quòd sen-
tentiam redderet absolutiorem magisq; catholicam.*

Solut. primæ

XLI. Ad 2. Respond. Non verimus *In* sed *Ex fide* cum
Apostolo, dictis locis: quia particula *Beth*, hoc loco nō ma-
teriam sed instrumentum seu originem significat, ut idem
Eras. docet Annotar. in c. 1. Rom. Est enim fides origo tum
justitiæ tum vitæ. Consentit quoq; Glos. Interl. Bibl. quæ
præpositionem *In* positam in Versione Vulg. Lat. exponit

Secundæ.

per *Ex*, addens & istud: *Fides hoc impetrat, ut scil. quis justus sit & vivat.*

XLII. Quod *secundò* DISPOSITIONEM attinet, orthodoxi etiam & magni nominis Viri variè hoc enunciatum disponunt: quidam enim statuunt subjctum esse *Justus*, prædicatum autem *ex fide sua vivet*, & ad hancce cõstructionem stabiliendam adducunt dictum Pauli Gal. 2. v. 20.

XLIII. Alii verò subjcti loco ponunt has voces, *justus ex fide*, & prædicati loco verbum *vivet*. Hancq; suam dispositionem probant sequentibus rationibus.

XLIV. 1. Ex hebraici textus distinctione, in quo nomen פְּיָרָה habet tantum etymologicum accentum Mercá Pschutá; sub voce autem יְהוֹשִׁיעַ est demum accentus syntacticus Tiphchá sive Tarchá semincisi vim habens, & distinguendis enunciati partibus serviens.

XLV. 2. Ex proposito Jehovæ, qui consolans pios afflictos, hortatur eos ad spem liberationis futuræ: deinde occurrens tacitæ objectioni, comparat inter se improbū & pium hominem & utriusq; dissimilè exitum. Ut autè comparatio sit illustrior, loco simplicium nominum adhibetur periphrasis tum improbi, tum pii: quorū *ille* vocatur is in quo non est rectus animus ipse; *hic* autem appellatur justus ex fide.

XLVI. 3. Ex accommodatione Pauli, qui Rom. 1. v. 17. ex hoc loco probat, per Evangelium reteri justitiam Dei ex fide in fidem.

XLVII. 4. Ex similibus enunciatis hoc præsens explicantibus, qualia habentur Rom. 5. v. 1. Gal. 3. v. 9.

XLVIII. 5. Ex consensu quorundam Patrum, præsertim Hieronymi, de quo Erasmus Annot. in c. 3. Gal. ita loquitur: *Indicat & ita posse distingui: Justus ex fide, deinde subdatur, vivet, ut sit sensus: qui verè justus est, non ex operibus legis sed ex fide, is victurus est.*

Dub.

Sol.

XLIX. Queritur nunc, *Annon hac dispositionis varietas sensum Oraculi turbet?* Resp. Minimè: hæc enim subordinata sunt, *justum esse ex fide, & ex fide vivere*; cum nihil impediatur, quò minus eadem fide homo & justus sit & vivat. Fides namq; est causa

est causa justificationis simul & vitæ, hinc Justificatio ex fide Jesu Rom. 3. v. 26. appellatur vitæ Justificatio Rom. 5. v. 18.

L. Sequitur deniq; SENTENTIA verborû, quæ *ναὶ ἀ πὸ δὲ* explicabimus. JUSTUS itaq; ille vocatur cui imputata est justitia Christi perfectissima, quâ loco nostro toti legi satisfecit, habens naturam humanâ originali peccato vacuum, & contrâ plenam puritate & sanctitate, nullum etiam committens peccatum actuale, & perferens pro nobis pœnas lege denunciatas: per quam obedientiâ justî constituimur coram tribunali divino, dum illam Deus acceptat perinde ac si in nobis esset. Rom. 5. v. 19.

L I. Errant igitur 1. qui fingunt hominem justum esse justitiâ Dei essentiali.

L II. 2. Qui comminiscuntur hominem justum esse coram Deo, justitiâ propriâ inhærente seu naturali (ut Pelagiani & Anabaptistæ, impiè negantes peccatum originale) seu acquisitâ partim, partim infusâ, ut Papistæ. Sic em̄ docet Conc. Trid. ses. 6. can. II: *Si quis dixerit hominẽ justificari, vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorû per Spiritum S. diffundatur, atq; illis inhæreat, aut etiã gratiam quâ justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Idem tradit Bell. tom. 4. l. 1. de Grat. & lib. arb. c. 4. item l. 2. de Justif. c. 2. & 3.

L III. 3. Qui putât hominẽ tunc perfectè justû esse, cùm ipsi remissa sunt peccata, absq; imputatione justitiæ Christi.

L IV. 4. Qui justitiam & obedientiam Christi, quâ coram Deo justî constituimur, non tam in observatione mandatorû legis quàm in persolutione pœnæ consistere docet.

L V. Porro nõ simplici & nudo *Justi* nomine utitur Propheta, sed voce complexâ *Justus ex fide*, id est, credens divinæ promissioni, ejusque complementum contra spem sub spe expectans, planè ut Rom. 4. v. 18. & seq. commendatur Abraham ex fide justus.

L VI. Instrumentû igitur veræ justitiæ Propheta hîc denotat: non enim justî sumus coram Deo ex fide, quatenus illa est doctrina seu religio quam quis profitetur, nec quatenus

Subjectum
simplex.

Justitia D.
essent.

Just. nob.
inhærens.

Justific. im.
perfect.

1.
2.

Determinatio subj.
1.
E causa.

Quomodo fides justific.

tenus

tenus est nuda cognitio & assensio, nec quatenus est virtus per quam fit quod dictum est, aut per quam quis alii fidus est, nec quatenus est qualitas nobis inhærens, nec quatenus est opus quo actu creditur; sed quatenus est instrumentum per quod homo justitiam Christi apprehendit, sibiq; applicat, & pro sua haberi à Deo certâ fiduciâ persuasus est.

Απορία.

Resp. Bell.

LVII. Quæritur hîc: Num Propheta mentione solius fidei factâ excludat charitatem & bona opera? Ad hanc quæstionem respondet Bellar. tom. 4. l. 1. de Justif. c. 15. Prophetam nostrum non simpliciter de fide hîc loqui, sed de fide formatâ per charitatem; quod ex Lyrani Expos. liter. habet. Similiter dicto libro cap. 20. præsens Oraculum Habak. depravat, inquit: *Quare docet quidem Propheta per fidem continuari vitâ, sed non per fidem solam, sed per fidem cum charitate conjunctam, & per charitatem operantem; ex quo sequitur, ut justus non solum ex fide, sed etiam charitate vivat. Neq; idè falsum est, quod Conc. Trid. dicit, fide inchoari justitiam, quoniam verum est quod Propheta dicit, fide continuari justitiam. Utrunq; enim fides facit, sed primum facit sola, secundum non sola.*

Resp. nostra
1.

LVIII. Nos verò respondemus 1. Etiam si exclusiva particula non exprimat, solam tamen fidem hîc intelligi citra respectum bonorum operum: sic enim Paulus dictum Habak. exponit: Gal. 3. v. 11. 12.

LIX. Nec valet quod Pontificii regerunt, Paulum in hoc argumento disputare tantummodò de operibus legis naturæ, non de iis, quæ sunt ex Dei gratia. Non enim confert opera legis naturæ & gratiæ, sed fidem & opera, credere & facere.

LX. Interim non negamus fidem, quæ est absq; operibus, esse mortuam. Jacob. 2. v. 17. Item fidem per charitatem operari. Gal. 5. v. 6. at tamen eo sensu, ut explicat Aug. l. 3. ad Bonif. cap. 5: *Licet fides sine operibus neminem salvat (ipsa enim non est reprobâ fides, quæ per dilectionem operatur) tamen per ipsam etiam peccata solvuntur, quia justus ex fide vivit. Sine ipsa verò, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur.*

2.

LXI. 2. Resp. Papistas turpiter hallucinari, ubi duplicem
justifica-

justificationem faciunt: *unam*, quâ peccator efficitur justus; *alteram*, quâ justus redditur magis justus; & docent *primam* tantum esse per fidem, *secundam* autem per fidem & opera simul. Paulus præsentem contextum adducendo Gal. 3, tantummodò unam justificationem sciebat, sive initium, sive augmentum, sive complementum hujus spectes.

LXII. Præterea evincitur hinc, Sacramenta nõ justificare, cum sola fides justificet. Ac de nihilo est, quod ad hocce nostrum argumentum Bellarm. respondet t. 3. l. 2. de effectu Sacram. c. 9. iterum præsens Habak. oraculum detorquens, dum ait: *Non dicit Scriptura, ex sola fide vivit, proinde relinquitur suus locus Sacramentis, &c.*

LXIII. Insuper è subjecto determinatur fides illa, quâ solâ justus constituimur: non enim simpliciter dicit Propheeta, *pium esse justum ex fide*, sed ex *SUA* ipsius fide, per Spiritum S. scil. ministerio Evangelii in corde ipsius generatâ, ac proinde non alienâ sed propriâ.

LXIV. Huic non obstat, quòd sæpè legimus aliorum fidem profuisse aliis. Marc. 2. 5. Jac. 5. v. 15. Et si enim aliorum fides medium esse possit ad procurandam sanitatem corporis, & alias corporales benedictiones, imò ipsam etiam fidem aliis: attamè remissionem peccatorum & vitam æternam nemo potest accipere nisi sibi ipsi.

LXV. Corruit hinc maximâ ex parte Papatus, qui totus bonorum operum meritis, satisfactionibus, imò operibus supererogationis nititur, & inde quæstum maximum facit.

LXVI. Si enim, ut singuli Christo opus habent, ita singulos propriâ fide illum apprehendere necesse est, Ergo falsum est, 1. hominem justum esse & servari ex fide non tam suâ quàm Ecclesiæ.

LXVII. 2. Aliena opera supererogationis (ut vocant) quæ ab hominibus superstitiosis quæstus ergò fiunt in manifestam Christi & meriti ejus ignominiam, nobis prodesse.

LXVIII. 3. Privatas Missas utiles esse toti Ecclesiæ. Sicut enim publicus Ecclesiæ minister doctrinam Evangelii toti Ecclesiæ proponit, ut eam audiat & accipiat: ita etiam

cœnam

II.
E. subjecto
inhæf.

Proleps.

Ελεγχ.

I.
De fide Eccl.

2.
De oper. supererog.

3.
De privat. Miss.

cœnam Dominicam celebrare debet pro tota Ecclesia, non ut solus eâ utatur, sed ut per ejus ministerium reliqui accipiant, manducant, & bibant, juxta Christi institutionem: quia quisque suâ fide vivet. Ac proinde ruit Canon Concil. Trid. de privatis Missis.

Απορ.
de fid. Infan.
Λύσις.

LXIX. Quæstio hîc occurrit: Cùm quisq; suâ fide servetur, nec aliena ipsi profit, quânam fide servantur infantes qui ante annos discretionis moriuntur? Resp. Servantur fide suâ ipsorum propriâ, absq; externo ministerio verbi Dei in cordibus ipsorû creatâ à Spiritu Sancto, qui pro ipsorum captu & modulo motus & inclinationes Deo placentes in ipsis excitat.

Prædicatû.

LXX. Quid tandem de justo ex fide prædicatur? Quòd VICTURUS SIT. Quod ipsum non tam de prima seu naturali vita, quàm de secunda seu spiritali & æterna intelligendum est. Agitur enim hîc potissimum de vita gratiæ, non naturæ, quæ piis & impiis communis est, ut docet Lyran. in Expof. liter. hujus loci.

LXXI. Sententia igitur Prophetæ est: Tantisper fide justus in terris vitæ initiis potietur, donec in cœlis ejusdem complemento fruatur. Col. 3. v. 3. 4. De hac vita August. to. 1. l. 10. Confess. c. 20. dicit ad Deum: *Vivit corpus meum de anima mea, & vivit anima mea de te. Vivens autem anima de Deo, gaudet de eo qui est veritas. Beata vita est gaudium de veritate, ut eodem lib. Aug. ait, c. 23. & præced. c. 22: Ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, ipsa est & non altera.*

LXXII. De eâdem Erasmus Annot. in cap. 1. Rom. ita loquitur: *Vita ex hoc habet initium, quod submittentes humanum sensum credimus verbis divinis. Hoc adversus Philosophos dictum est.*

Proleps.

LXXIII. Cæterû Prophetâ in futuro dicens, VIVET, non adversatur Christi verbis: *Quisquis credit in Filium DEI, habet vitam æternam.* Joh. 3. v. 15. 16. Hoc enim dicendo non excludit præsens salutis jam acquisitæ bonum, sed illius perpetuam continuationem exprimit.

Ελεγκοι.
I.
De persever.

LXXIV. Evincitur hinc 1. errare eos qui fingunt homines electos & fide justificatos gratiâ excidere, & fidem justificantem amittere posse: Electi namq; fide, ad eum qui venturus

venturus est, respiciunt, exerto capite, & in ejus communionem vivunt. Quo modo Paulus accommodat præsens Habak. dictum, Heb. 10. v. 35. & seq.

LXXV. 2. Qui duplicem faciunt justificationem, primam & secundam, ut Papistæ. Habakuk em̄ non nudè dicit, justus ex fide vivit, sed vivet. Una igitur & eadem est justificatio & in principio conversionis, & quâ tandem pervenimus ad vitam æternâ: revelatur namq; justitia Dei in Evangelio non ex fide in nostra opera, sed ex fide in fidè. Rom. 1.

2.
De justif.
dupl.

LXXVI. 3. Qui contendunt nos meritis bonorum operum consequi vitam æternam: ut iidem Papistæ. Non enim vitam minùs quàm justitiam per fidem citra respectû ullius meriti obtinemus. Hinc rectè monet Glos. Interl. super hunc locum, vitam æternam esse *præmium fidei*.

3.
De caus. me-
rit. vit. æt.

*Vidimus Demonstrationis Minorem, inq; ejus ἑρμηνεία
sensum præsentis oraculi Habak.*

LXXVII. Jam ex iis quæ dicta sunt de hoc oraculo Habak. manifestum est, pios & impios non simul eodem esse loco apud Deum. *ὅτι οἱ ἅγιοι καὶ οἱ ἄγιοι.*

Concl. De-
monstr.

LXXVIII. Consequitur hinc 1. turpiter errare illos qui contendunt, Christum pro universis & singulis hominibus, nullo dempto aut excluso, mortuum esse, ad salutem ipsorum æternam: quasi apud Deum non esset discrimen fidelium & infidelium.

Porismata
texo.

LXXIX. 2. Impium esse illorum errorem, qui putant quemq; in sua religione, qualis qualis illa sit, ac fide pro arbitrio fictâ servari.

LXXX. Non autè potest hæc falsissima opinio ex præsentis loco Habak. corroborari, ubi dicitur, Justum ex fide sua victurum esse. Nam, ut suprâ dictum, non intelligitur hic ejusmodi fides propria, quam sibi quisque pro arbitrio fingit; sed opponitur duntaxat pronomen sua fidei alienæ, etiam veræ, & opinionibus de justificatione operum: ac sensus est; Justus non justificatur operibus legis, sed solâ fide in JESUM CHRISTUM, & quidè suâ propriâ nō alienâ, ut antè ostensum est.

LXXXI. 3. Fal-

